


DISSERTATIO INAUGVRALIS PHILOSOPHICA

DE

UNIVERSALITATE  
PROVIDENTIAE DIVINAE

IN

MVNDO OPTIMO



QVAM

SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO

ATQVE AMPLISSIMO

DOMINO

GEORGIO FRIEDERICO MEIER

PHILOSOPHIAE PROF. PVBL. ORDINARIO, MEMBRO ACADEMIAE  
SCIENTIARVM REGIAE BEROLINENSIS

CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRO GRADV MAGISTRI

D. XIII. MARTII MDCCLXIII.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR DEFENDENS

HIERONYMVS GODOFREDVS WIELKE

LITHVANO BORVSSVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE

EX OFFICINA FRANCKIANA.

9709969

UNIVERSITATE  
PROVINCIAE DIVINAE

MYNDO OTTINO

EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO  
ATQUE VANDISSIMO

DOMINO

GEORGIO FREDERICO MEIER

PRO GADU MAGISTRI

HIERONYMVS GODFREYVS WILKE

HALE MAGISTRVS



MAGNIFICIS

PRAENOBILISSIMIS

CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS

CONSULI DIRIGENTI  
GRAVISSIMO

CONSULIBVS

CONSILIARIIS DIGNISSIMIS

REGIAE PRUSSORVM METROPOLIS

PRO CERIBVS

VIRIS

DE PATRIA LONGE MERITISSIMIS

MAECENATIBVS AC PATRONIS

SVMMA PIETATE PERPETVO

DEVENERANDIS

IN GRATI ANIMI TESSERAM

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D.


AVCTOR

HIERONYMVS GODOFREDVS WIELKE.





DISSERTATIO INAUGVRALIS PHILOSOPHICA  
DE  
**VNIVERSALITATE**  
PROVIDENTIAE DIVINAE  
IN  
MVNDO OPTIMO.



§. I.



I nter omnes, quas commemoratione dignas iudicamus, meditationes, illae, quibus Deus, perfectionesque eius summae, clariores nobis sistuntur; quibus porro, qua felicitatem nostram, qua officia obligationesque nostras erga Deum obseruandas, nosmetipsos perfectiores reddimus, primum occupant locum. Summa quae nobis possibilis nostra felicitas, quamque dum vitam hanc degimus, obtinere debemus, in eo consistit, vt semper cum omnibus quae nobis eueniunt pie simus contenti, et in Deo quam maxime acquiescamus. Sed numquam ad gradum illum felicitatis hominis maximum perueniemus, nisi prius de summa Dei sapientia bonitate et iustitia conuicti,



ardentissime sciamus, omnia, quae nobis insunt bona et realitates, partim immediate partim mediate a Deo actuari, mala vero et imperfectiones, aliae ob finitudinem nostram transcendentales nobis inesse, aliae a Deo optimo, ob perfectionem totius, sapientissime permitti. Id, quod nosmetipsi sumus, est pars aliquantula totius cuiusdam, scilicet huius mundi optimi, quem Deus ob fines maximos vi propria produxit; et eam ob causam, quamcunque in nobis realitatem Deus actuat, ut nimirum perfectio totius summa quae possibilis obtineatur, et quamcunque negationem imperfectionemque seu mala permittit, ut ipsa haec perfectio, in primis summus eius gradus, minus impediatur. Hanc sententiam, propter perfectiones Dei plurimas maximas, quae possibiles, corroborare debemus. Impossibile enim est, Deum alia nisi summa bona, appetere velle et actuare, tam in se quam in aliis extra se; impossibile quoque est, plurima maxima, in plurimis maximis extra se positis, bona Deum non appetere, velle et actuare, hinc impossibile etiam est, Deum non tot, tantisque rebus creatis, tot tantaque bona conferre velle quot et quantis, quot et quanta pro summa eius bonitate et sapientia licet. En! quam utilis, quam iucunda erit meditatio de vniuersalitate prouidentiae diuinae in mundo hoc optimo, quam, gloriae diuinae maximae promouendae gratia, apud nos, in dissertatione hac pertractandi, constituimus.

§. II.

Non nostrum est, generaliter hic de prouidentia diuina agere, nec omnes illas actiones, quae a plurimis in explicanda prouidentia a se inuicem distinguuntur, enumerare, et demonstrare, cum omnia haec tam in philosophicis quam theologis iam satis euicta sint. Intelligimus hic per prouidentiam diuinam conseruationem substantiarum huius mundi optimi, quatenus partes huius et non alius sunt. Quod, ut clarius euadat, sequentia obseruare licebit: omnis Dei actio transiens, siue, quae ad mundum hunc optimum refertur, duplex tantum esse potest. Primo: actio, qua Deus toti huic vniuerso, in statu possibilitatis spectato, *ex* esse suum largitus est, seu illum creauit. Haud dubito, cuicumque notum fore, Deum non alium, sed mundum hunc, talem ex nihilo produxisse, qualem ab aeterno pro distinctis-

sima



fima sua cognitione decreuit; hinc illas, et non alias partes singulas, tam substantiales quam accidentales, omnes earundem mutationes et modificationes, omnesque causas, rationes, cum earum rationatis et corollariis, quae propter nexum vniuersalem, determinato a Deo quodam ordine, vel sibi coexistunt, vel sibi succedunt. Secundo, actio, qua Deus curat, vt mundus hic optimus, hinc tota series omnium finitorum actualium, a primo momento creationis, vsque ad aeternum, vel simul vel successiue existentium, in  $\tau\theta$  esse suo perseveret. Actio haec diuina posterior generali prouidentiae insignitur nomine, sic vt prior creatio vocatur. Sed, cum actionem illam, qua creaturae datur vt in esse suo perseveret, seu vt existere pergat, conseruationem dicamus, consequens est: prouidentiam per conseruationem, haud inepte, definiri posse; et cum (vt ex Metaph. constat) omnes partes, huius mundi optimi, vel sint substantiae, vel accidentia, haec autem per non interruptam priorum actiuitatem producantur; sequitur: prouidentiam Dei esse conseruationem substantiarum huius mundi optimi.

## §. III.

Deus in creando finem habuit. Hinc Deus mundum hunc facit perdurare, vt finis eius vltimus obtineatur. Hinc mundus hic vt medium existit. Sed non nisi successiue existere potest. Hinc finis vltimus non nisi per media successiue existentia, et non nisi per substantias successiue existentes §. 2. obtineri potest. Dum Deus curat, vt mundus, quem creauit, in esse suo perseveret, curat quoque, vt media successiue plura, ad finem eius vltimum pertinentia, successiue existant. Hinc dum Deus conseruationem substantiarum in mundo optimo exercet, actuat in eodem media ad finem successiue plura. Porro obseruamus: substantia dum conseruatur, necessario quoque vim suam conseruari: posita enim substantia ponitur vis stricta. Ergo Deus prouidet substantiis et curat easdem qua vires earum. Hinc Deus illas conseruando, ad omnes earundem actiones, et inde in mundo optimo oriundas mutationes, quae tanquam rationata, et corollaria substantiarum siue earum effectus considerantur §. 2. concurrunt.

*Scholion.* Iam duas in §pho hoc explicauimus actiones diuinas, gubernationem scilicet et concursum Dei, quae ab aliis sigillatim in prouidentia diuina distinguuntur, sed vt ego quidem iudico tanquam partes conseruationis commode spectari possunt.

## §. IV.



## §. IV.

Cum in Deo omnes, plurimae et maximae, sint realitates et perfectiones compossibiles: ei maxima quoque libertas competit voluntatis. Ergo omnes actiones liberas suas Deus non solum liberrime agit, sed etiam tot et tantas actiones liberrime agit, quot quantaque per infinitudinem perfectionum possibiles. Quaeuis actio Dei transiens est actio maxime libera, et ex liberrima eius voluntate profluit. Nam omnis Dei actio in hunc mundum est libera 1) ratione executionis, quia mundus hic in se contingens est; 2) vis Dei summa eiusque voluntas ad illam appetendam per scientiam eius liberam hinc distinctissimam eius cognitionem determinatur. Hinc, conseruationem substantiarum huius mundi optimi actionem Dei esse liberrimam, recte inferimus.

## §. V.

Dum Dei voluntas per distinctissimam, quae in illo possibilis est, cognitionem determinetur, non potest non nisi bona appetere et realitates actuare; nisi mala et imperfectiones auersari, quantumque possibile impedire. Hinc, cum plurimas et maximas Deus cognoscat realitates, distinctissime et ardentissime, tot et tanta appetit bona, quot et quanta possibilia, quibus positus, tam in se ipso quam quoque in aliis extra se, plurimae et maximae, quae possibiles, realitates ponuntur. Hinc Deus, conseruationem exercendo, tot tantasque in hoc mundo optimo actuat realitates, quot et quanta in eodem possibiles sunt. Positis in ente realitatibus, ponitur in eodem perfectio; quo plures, quo maiores ponuntur, eo maior fit perfectio eiusdem. Iam Deus plurimas et maximas, quae in hoc mundo optimo, per consequens et in substantiis, possibiles actuat realitates; hinc per conseruationem §. 2. maxima quae possibilis in mundo optimo actuatur perfectio. Posita in ente perfectione, et quidem summa quae possibilis, ponitur in eodem summum, quod possibile est, bonum. Ergo Deus, substantias huius mundi optimi conseruando, summam suam exercet bonitatem.

## §. VI.

Summa quae Deo inest scientia libera, est cognitio omnium in hoc mundo optimo actualium distinctissima. Hinc Deus sapientissimus, totum esse



esse cuiusvis huius mundi optimi partis, hinc, omnes eiusdem qualitates, tam internas quam externas, et quantitates, omnesque illius nexus, quantum et quale sit, vt medium ad finem vltimum spectatum §. 3. distinctissime cognoscit. Porro: cum omnia ei manifesta sint, finis, quem in creando habuit §. 3. distinctissime ab eo cognoscitur; hinc optime scit, quomodo idem obtineri optime possit ac debeat. Ergo nec plura nec maiora, sed proportionalissima adhibet media; hinc nec plura nec maiora, cuiuslibet substantiae, quam valor eius admittit, bona confert. Ergo in conferendis suis beneficiis, et conferuando substantias huius mundi optimi, summam Deus sequitur proportionem bonitatis. Conferuatio igitur substantiarum est actio summae Dei sapientiae, hinc quoque summae iustitiae respectu spirituum in hoc mundo existentium.

*Scholion.* Optime, si placet, nos de illis, quae §. 2. et 3. de conferuacione, quod nimirum omnes illas actiones diuinas, quas alii ad prouidentiam singulatim referunt, sub se comprehendat, dicta sunt, conuincere possumus. Nam ad existentiam et durationem huius mundi optimi, hinc omnium eius partium actualium, quae substantiae sunt, omnia illa referenda sunt, quae propter nexum, in quo cum aliis coexistentibus et successivis quaelibet earum existit, vnicuique competunt; hinc omnes earum status, mutationes et singulae determinationes tam internae quam externae actuales. Si ergo Deus optimus, vt existere pergant, seu in esse suo perseuerent, curat, eo ipso quoque prospicit, vt omnia sic existant et perdurent, ac finis eius vltimus, quem pro summa sua sapientia et bonitate ab aeterno decreuit, requirit.

## §. VII.

Prius quam ad ipsam tractationem propositi nostri, nos accingamus; pauca adhuc quaedam de obiecto prouidentiae et conferuacionis diuinae praemittere merentur; vt, quousque prouidentia diuina se extendat, accurate determinare queamus. Generaliter de obiecto prouidentiae obseruare licet: quod fit hic mundus a Deo creatus, nec alius, quem ex theologia naturali optimum esse supponimus. Inquiramus igitur tantum: quo respectu mundus hic, si optimus dicitur, sumi debeat? Optimus est, quia in eo summa est perfectio, quae in mundo aliquo possibilis est. Hinc primo: quia in eodem



plurimae et maximae inueniuntur realitates, in illo possibles, quaeque salua eius finitudine et contingencia coexistere possunt; secundo: quia inter omnes et singulas has realitates maximus possibilis consensus reperitur ad vnam aliquam realitatem, quam finem vltimum Dei optimum esse theologia naturalis nos docet. Hinc mundus hic est optimus, quia per esse suum, tota, quam Deus, mundum hunc decernendo, sibi repraesentauit idea mundi, ex asse extra Deum exprimitur. Et hoc fit, dum mundus hic, tam interne quam externe, qua omnes scilicet, plurimas et maximas, in eodem possibles, partes, omnimode est determinatus. Ergo mundus hic, propter ipsius, hinc et singularum eius partium, siue substantiae fuerint siue accidentia, indiuiduationem, est optimus.

#### §. VIII.

Omne ens singulare seu indiuiduum existit, quia indiuiduum est. Hinc quia omnes suas habet determinationes tam internas quam externas, concludimus: cuiusque enti singulari vna tantum deesset determinatio, quae illi tanquam huic, et non alii indiuiduo propria est, illud vel plane non existere posset, vel, si existit, non illud quod esse supponimus, sed aliud actuale esset ens et indiuiduum. Hinc sumas indiuiduum aliquod N, cuius tibi omnes determinationes, quibus positus, N ponitur, notae sunt, et vnam minimam tantum determinationem ei deneges; ab hoc momento non amplius manebit N, sed aliud quoddam indiuiduum quod alio modo erit determinatum. Mundus hic optimus qui existit, est illud nec aliud indiuiduum et ens singulare, quam quod et quale existit reuera. Nam est optimus, et quidem propter indiuiduationem suam optimus est §. 7. hinc, quia in eo tot, tantae, et tales sunt determinationes, quot, quanta et quales reuera existunt. Hinc, per alius indiuidui existentiam, perfectio summa et finis Dei vltimus, complete obtineri nequit, quod tamen necessarium est. Sed ad indiuiduationem huius mundi optimi, omnes et singulae, quascunque tibi vt existentes in eodem cogitaueris, determinationes pertinent; hinc omnes substantiae, a spiritu inter finitos maximo, vsque ad minima elementa corporum, omnia denique accidentia et phaenomena, quae per substantiarum singularum perpetuam actiuitatem in hoc mundo existunt, et qui exinde status et nexus,

tam



tam totius mundi optimi, quam quoque substantiarum et reliquarum eiusdem partium oriuntur, ad omnimodam mundi optimi determinationem referuntur, et eius indiuiduationem constituunt. Hinc mundus hic, nec vno momento vt optimus perdurare possit, si vnum tantum horum recensitorum abesset, aut ad actualitatem vel in minori gradu, vel aliter ac fit, perueniret. Recte igitur concludimus; omnia in hoc mundo optimo actualia, propter quae optimus est, sic vt reuera existunt, nec alio, ac sunt, modo determinata, ad summam eiusdem perfectionem, quae possibilis, consequendam, necessario requiri; et hinc nec vna eiusdem pars, cum omnibus suis nexibus et statibus, tam praeteritis, quam praesentibus et futuris, qui in hoc nec in alio mundo possibiles sunt et existunt, in illo abesse potest.

## §. IX.

Inter alias et maximas, quae adsunt rationes, propter quas omnia in hoc mundo optimo existentia, sic et non aliter determinata, in illo existere debent, est nexus vniuersalis, qui in singulis, huius mundi optimi, maximus, qui in mundo possibilis, reperitur. Per hunc, quaecumque in vniuerso sit factum, quodcumque in eodem existens, qua omnes eius rationes possibiles, tam coordinatas quam subordinatas, et qua omnia rationata in mundo possibilia, tam quoque coordinata quam subordinata, hinc qua omnes determinationes et praedicata, tam interna quam externa, possibilia, maxime determinatur.

*Scholion.* Necessitatem nexus vniuersalis in mundo optimo absque demonstratione hic assumimus, cum cuilibet ex metaphysicis iam notum esse possit, nullam dari absque nexu, veram perfectionem etc. Quo ergo nexus maior, eo maior quoque est perfectio. Et cum in mundo optimo, maxima quae in eodem possibilis est, sit perfectio: nexus quoque omnium actualium in eodem maximus esse debet; iam est maximus, si plurima et maxima, maxime connexa sunt; hinc si nexus in singulis, seu vniuersalis est,

## §. X.

Ad omnimodam cuiusuis indiuidui determinationem, qua fit, vt possit existere, non solum omnes eius internae, sed etiam externae determinationes requiruntur, i. e. eius relationes et respectus. Relationes et respectus



cuiuscunque, huius mundi optimi, partis, per eius nexum cum reliquis in illo compossibilibus et coexistentibus, determinatur. Omnes partes huius mundi optimi, compossibiles, seu coexistentes, vel sunt entia successiva vel simultanea. Hinc quaeuis pars, siue substantia siue accidens fuerit, quae ut indiuiduum mundi optimi spectatur, determinatur per status praeteritos, praesentes et futuros; hinc per omnia illa, siue substantias siue accidentia, vel quibus ipsa succedit, vel cum quibus simul est, vel quae ipsi in posterum succedent. Hinc, si actio seu mutatio minima, substantiae minimae, vel aliter, vel prorsus non in hoc mundo optimo eueniret, ac actu est: substantia sequens, aut minima aut maxima, non esset eadem, ac in mundo optimo esse debet. Sumas casum hunc sequentem: actio substantiae A tam respectu omnium eius rationum, quam qua omnia eius rationata, iam ab aeterno, in decreto diuino maxime determinata est, quia etiam est pars huius mundi optimi, in quo nexus est vniuersalis maximus §. 9. Hinc omnes, huius actionis, rationes, omnia quoque eius rationata, in posterum existentia, ab aeterno determinata sunt; et hanc ob causam, actio haec, est actio ad mundum hunc optimum pertinens, quia Deus ab aeterno illas et non alias rationes praecedentes, per quas substantia A ad actionem hanc producendam sufficienter determinata est; et illa nec alia rationata, tam qua tempus praesens quam qua futurum, actionem hanc sequentia, et cum eadem connexa decreuit. Haec actio, quae tali modo, in mundo optimo, determinata est, constituit quoque determinationem substantiae A, qua posita, substantia A nec alia ponitur. Hinc, cessante vna tantum huius actionis determinationum, actio iam non eadem est; qualis est, si determinatio haec non remouetur; per consequens substantia A, non est A, sed alia. Sed cum A, nec alia loco illius, ad mundum optimum pertineat: mundus hic, cessaret esse optimus, si actio substantiae A, vel qua minimam eius determinationem mutaretur. Et hinc concludimus: quamuis huius mundi optimi partem maiorem, siue fuerit substantialis siue accidentalis, qua tamen sublata, summa, quae in hoc mundo possibilis, perfectio tolleretur, minime esse illam et non aliam partem, nisi quoque partes minores, vel etiam minimae, quae propter nexum vniuersalem, complementa ad  
omni-



omnimodam substantiae seu partis maioris determinationem dici possunt, illam vel antecederent, vel illi successiua vel simultanea essent.

§. XI.

Verum quidem est, quod in hoc mundo optimo, entia qua quantitatem et qualitatem sint diuersa; sed nulla inter illa, respectu quarundam determinationum communium, intercedit differentia generalis. Sic quoque vniuersaliter, de quocunque in hoc mundo optimo actuali, praedicari potest; illud esse ens reale. Hinc, tantam ei inesse realitatem, quanta per eius essentiam et summam huius vniuersi perfectionem possibilis. Realitas partis huius mundi minimae minima in nexu vniuersali maximo existit §. 9. Hinc suas habet rationes, rationata et corollaria, quae in totum hunc vniuersum, in omnes substantias, et omnes earundem actiones, et exinde oriundos huius mundi optimi status influunt. Quaeuis ratio, aequae ac quoduis rationatum realitatis huius vniuersi actualis minimae, non nisi realitas esse potest; quia nulla negatio, nec ratio nec rationatum realitatis esse potest. Iam in hoc mundo optimo, cum summa esse debeat perfectio quae in eodem possibilis, consensus realitatum tantus, quantus possibilis, ut sit, necesse est. Iam et minima realitas, tam per suas rationes, quam per sua rationata, quae omnia realitates sunt, ad perfectionem totius, propter nexum vniuersalem, consentit. Hinc si aliquod actuale, in hoc mundo optimo reuera existens, licet minima ei tantum competeret realitas, non existeret; consensus non esset maximus, quia plures adhuc realitates finitae compossibiles essent, quam in hoc mundo actu consentirent, hinc non adesset perfectio totius summa; nec mundus hic esset optimus. Exinde inferimus: actualia minima, salua perfectione totius, et reliquorum actualium maiorum, et maximorum, in hoc mundo optimo deesse minime posse, sed potius necessario ad summam mundi perfectionem requiri ut existant.

§. XII.

Nexus vniuersalis, qui in hoc mundo optimo existit, est nexus singularum partium mundi cum singulis. Ideoque pars minima, et eius realitas, omnis etiam minima, cum omnibus et singulis huius mundi optimi partibus



et realitatibus maioribus et maximis ita est connexa, vt confusio, non consensus et dissensus aliquis alias in mundo possibilis inter omnes reliquas oriretur, si prior cessaret. Satis haec ex metaphysicis nota sunt, vt nostrum non iudicemus, eadem in dissertatione nostra probare. Ponas igitur: vnā tantum minimarum huius vniuersi partium vel prorsus non, vel aliter existere ac actualis est, et perfectionis summae causa, quae in hoc mundo optimo obuia est, existere debet: necessario sequitur, omnes partes maiores, statim alio modo fore determinatas, ac sunt, dum illa pars minima sic et non aliter existit. Nam tunc et plane quadam determinatione carent, et alia ratione determinata sunt. Et si hoc fuerit, finis creationis Dei vltimus vel plane non vel non ex asse obtineri poterit, quod ex prioribus constat. Hinc tam minutiae, quae nobis tales esse videntur, quam maxima in hoc toto optimo actualia, eandem ab rationem a Deo sapientissimo creata sunt: vt nimirum per quoduis eorum, perfectio, quae in mundo optimo possibilis, summa, in summo gradu obtineatur. Lubenter concedimus: substantiam maiorem, qualis e. g. spiritus, plus ad perfectionem totius summam conferre, quam minorem. Sed cum Deus sapientissimus, distinctissime ab aeterno praeuiderit, sine substantiis minoribus et inferioribus mundum optimum impossibilem esse; fieri etiam non potest, vt mundus optimus sine partibus eius minimis perfectionem tamen summam assequatur. Sic quoque omnia mala huius mundi optimi diiudicare possumus, de quibus vero infra vberius agemus.

#### §. XIII.

Hisce nunc praemissis, quae de obiecto prouidentiae diuinae, ad vberiore[m] eius explicationem praemittenda, necessaria iudicauimus, propius ad thema nostrum ipsum progrediamur, et quousque in mundo optimo prouidentia Dei se extendat inquiramus. Generaliter de extensione prouidentiae diuinae obseruandum est: eam omnia, quae obiecta creationis diuinae sunt, curare. Omnia enim, quae per creationem existunt, sunt effectus omnipotentis vis diuinae; hinc dependent a causa efficiente extra se posita. Causa haec efficiens si cessat actuare effectum suum, effectus ipse desinit existere. Nam sublata causa efficiente, tollitur effectus. Iam Deus omnium  
huius



huius mundi optimi actualium est causa efficiens, et quidem illa produxit sine concausa efficiente. Hinc si desinit rebus creatis existentiam largiri: partes huius mundi optimi actuales, hinc mundus totus ipse, amplius existere nequeunt. Ergo Deus, quouis momento durationis, cuiuscunque huius uniuersi partis actualis debet esse illius causa efficiens; hinc creationem continuare, seu rei cuius creatae, ut existere pergat, prospicere. Actionem hancce Dei, qua creaturae cuius datur, ut durare, seu existentiam continuare possit, conseruationem diximus §. 2. Consequenter, Deus ut omnia, quae in creatione ut partes totius seriei actualium finitorum produxit, conseruet, necesse est. Partes hae productae sunt substantiae huius mundi optimi, quibus positis omnes reliquae mutationes et determinationes siue accidentia ponuntur; conseruatio autem substantiarum huius mundi optimi dicitur prouidentia diuina: ergo ad omnes substantias creatas huius mundi optimi prouidentia diuina necessario se extendere debet.

## §. XIV.

Teste experientia mundus hic optimus durat. Aliae eius partes existentes sibi succedunt; aliae vero sibi simultaneae sunt. Sed ne vna quidem earum aliter, quam ens finitum siue dependens a causa efficiente extra se posita, perdurare potest. De omnibus et singulis, siue sint partes maiores siue minores, siue maximae, siue minimae, commune hoc, quod ad seriem actualium finitorum pertineant, praedicatum valet. Sed omnia, quae extra Deum existunt, ad mundum hunc optimum, ut partes eius, referuntur; impossibile enim est, plures praeter vnum existere posse mundum, hinc nullum existens ad aliud totum finitorum quam ad optimum pertinet. Hinc omnium actualium duratio, est effectus summae vis diuinae. Licet enim mundus hic omnium possibilium optimus sit: attamen eius independentia a conseruatione et prouidentia diuina impossibilis est, et quidem absolute. Nam inter essentialia huius mundi optimi, quae cuiuscunque enti absolute insunt, finitudo quoque et contingentia referenda est. Hinc oppositum huius in illo absolute impossibile est; hinc a se nec vno tantum momento subsistere potest. Ergo et per omnipotentiam diuinam impossibile fuit mundum independentem producere,  
hinc



hinc necessarium est, ut omnes partes huius mundi substantiales non aliter quam per conseruationem diuinam existere pergant.

§. XV.

Falso igitur illi, qui vniuersalitem prouidentiae diuinae negant, putant: Deum maximas tantum huius mundi optimi partes, neutiquam vero minimas curare. Sepositis iam omnibus aliis, quae a summa Dei sapientia et bonitate peti possunt, rationibus, aduersariis his demonstrandum est: minimas has partes sine conseruatione et influxu Dei reali existere posse. Et si per praecipitantiam gratis hoc assumerent; tunc videtur, has minutias, aliis maioribus grauioribusque rebus longe perfectiores esse. Nam Deus, easdem sine finitudine hinc infinitas creasset. Sed qualis et quanta est perfectio, quae soli tantum Deo competit? Experientia testatur et minutias existere, et in hoc mundo optimo, nec in vlllo alio possibili actuales esse: quid obstat, ut non affirmetur, omnia haec minima actualia per conseruationem diuinam tantum existere et adesse posse? Praeter finitudinem et infinitudinem, praeter contingentiam et necessitatem, tertium assumi non potest; hinc si de minimis huius mundi optimi partibus prior dici debet determinatio, (id quod ex §. 14. constat); ut prouidentia diuina ad eadem omnia quoque se exferat, absolute necesse est.

§. XVI.

Idem est, si dicimus: Deum conseruare substantias omnes et singulas huius mundi optimi, ac si diceremus: Deum ad omnes actiones substantiarum vniuersi totius concurrere. Patet enim ex principiis ontologicis, omnem substantiam esse vim strictè dictam. Hinc si substantia existit necessario quoque vis eius existere debet. Omnis substantia, hinc et vis strictè dicta, quouis momento existentiae suae, actuat mutationes seu accidentia vel in se, vel in substantiis aliis extra se positis; et si substantia est pars huius mundi optimi: tunc efficit, cum reliquis simul sumtis, ut in hoc, omnia accidentia diuersique status huius mundi ad actualitatem perueniant. In §his antecedentibus demonstratum est: quod nulla substantia, qualiscunque etiam sit, existere possit, nisi Deus quouis temporis momento existentiae eius, causa sit  
effi-



efficiens Hinc facile patet, nullam quoque substantiam agere nisi Deus vim eius conferuet. Nam omnis actio est rationatum et effectus causae suae, quae est vis substantiae cuiusdam. Sublata autem ratione et causa efficiente, tollitur rationatum et effectus. Hinc, si Deus substantias, harumque vires minus conferuaret, nulla in hoc mundo optimo actio fieri posset. Sed Deus omnes et singulas conferuat substantias, et curat, vt in esse suo continuo perseuerent, ob absolutam impossibilitatem independentiae durationis earundem a prouidentia diuina §. 14. 15. Hinc Deus, qui causa est efficiens existientiae substantiarum, est etiam causa efficiens, et vna ex parte immediata, omnium actionum ex viribus substantiarum huius mundi optimi profluentium. Ergo nulla substantia, remota conferuatione et concursu diuino physico, vim suam propriam ad actuandas in hoc mundo optimo mutationes et accidentia, determinare potest.

## §. XVII.

Omnis mutatio quae in hoc mundo optimo accidit, vel actio vel passio est. Tam haec, quam illa in viribus substantiarum efficacibus rationem existientiae suae sufficientem agnoscit. Sed adest inter illas adhuc aliqua differentia. Actio nimirum est actuatio mutationis seu accidentis substantiae, ver vim propriam. Passio vero est determinatio, qua substantia ponitur pati productionem mutationis seu accidentis cuiusdam per vim alienam. Facile nunc conuincimur, quod nec vna huius mundi optimi substantia absque concursu et conferuatione Dei pati possit. Ex metaphysicis enim constat: omnes huius mundi mutationes, salua illa quae actiones et passiones intercedit differentia, vt passiones considerari posse, quia per vires reliquarum substantiarum finitarum actuantur. Omnium harum virium naturalium Deus est causa efficiens, et omnium mutationum, quae per illas in mundo optimo actuantur, causa immediata §. 15. 16. Hinc Deus, vt causa, omnium passionum, prima, remota et mediata tantum, spectari potest, quarum causae proximae et immediatae vires substantiarum finitarum in patientes influentium sunt. Quis est, qui nunc de necessitate vniuersalis conferuationis, concursus et prouidentiae diuinae, respectu omnium in hoc vniuerso actua-



lium dubitare possit, dum manifestum est, nihil in eodem euenire posse, cuius Deus non vel causa immediata vel mediata vel vtrumque sit? Quodcunque prouidentia diuina indiget, et sine conseruatione et concursu diuino perdurare nequit: illud Deus conseruat, illique quam maxime prospicit. Et cum omnia et singula huius mundi optimi actualia eiusmodi sint naturae, vt finitudo ab illis salua eorum essentia remoueri nequeat; eam ob causam prouidentia diuina ad omnia et singula, siue sint maximae siue minimae huius totius partes, se extendere debet necessario.

§. XVIII.

Dantur in hoc mundo optimo quaedam mutationes, quae nobis tam leues, tamque paruae esse videntur, vt illas ne attentione aliqua quidem dignas iudicemus. Lubenter concedimus, quod et reuera sint res minores; nam impossibile est, vt omnes et singulae mutationes, omnes euentus, omnesque in illis circumstantiae, eiusdem sint dignitatis et aequalis valoris. Sed inde nihil aliud probari potest, quam quod actiones substantiarum qua quantitatem et qualitatem differant; minime autem gentium, quod prouidentia diuina ad actualitatem omnimode determinatam vel minimarum mutationum in hoc mundo non requiratur. Eadem enim est ratio, de his minimis et leuissimis mutationibus naturalibus, respectu vniuersalis prouidentiae diuinae, eadem affirmandi, quam illa fuit, quam §. 16. 17. de omnibus in genere actionibus reddidimus. Nam si haec minima actio substantiae cuiusdam ad actualitatem peruenire debet: substantia eandem vim vt ad agendum determinet, necesse est, qua ad maiorem quandam mutationem actuandam vtitur; etiamsi minor gradus substantialis vis, ad actionem seu mutationem hancce minimam producendam adhiberi debeat. Si ergo Deus, in illo momento, quo substantia, vim suam efficacem ad agendam minimam mutationem determinat, illam non conseruaret, seu illi amplius non succurreret: in illo eodemque momento substantia annihilaretur; hinc vsque in aeternum actio haec minima deficeret, quae tamen in hoc mundo optimo, conseruatione et cura Dei continuata, actu est.

§. XIX.



## §. XIX.

Merito hic oritur quaestio: quomodo Deum ad mala in hoc mundo optimo concurrere dici possit? Ut ad quaestionem hanc, perfectionibus attributisque diuinis conformiter respondere queamus, necessario quaedam de malis generaliter obseruanda sunt. Inter omnes entium finitorum determinationes, quarum quaedam illis absolute, quaedam vero contingenter insunt, etiam referendum est, quodlibet eorum partim bonum partim malum esse. Bonum et malum, quod rebus finitis inest, ex parte ad eorum determinationes absolute necessarias, ex parte autem ad eorum praedicata contingentia pertinet. Illud est bonum vel malum metaphysicum; hoc vero contingens. Omnia praedicata, quae entibus absolute necessario insunt, ad essentialia et attributa eorum referuntur; hinc nullo modo, ut ex theologia naturali constat, obiecta creationis, hinc nec providentiae et conseruationis diuinae esse possunt. Si mala sumimus contingentia; haec duplici modo spectari queunt. 1) Qua materiale eorum, et tunc omne malum est positui quid, hinc et reale; 2) qua formale mali, et hoc respectu vera est negatio, cuius ratio et causa non nisi negatio esse potest. His nunc praemissis facillime perspicere possumus, quousque Deus, respectu malorum contingentium, rei cuius creatae prospicere, et quidnam in malis contingentibus conseruare dici possit? Deus, cui omnes insunt realitates, plurimae et maximarum maximae, compossibiles, neutiquam causa vllius negationis esse potest; hinc quoque ad formale vllius mali contingentis concurrere nequit per realem influxum, licet per plurimas et optimas rationes, illud permittere decreuerit.

## §. XX.

Porro adhuc addere placet: malum contingens formaliter spectatum, in hoc mundo optimo non existeret, si remoto illo mundus hic tamen ut optimus perdurare posset §. 7. 8. Hinc cum Deus sapientissimus distinctissime ab aeterno perspexerit, summam, quae in mundo optimo possibilis, perfectionem obtineri non posse, si formalia malorum contingentium impediret; eam ob causam, ab aeterno quoque permissionem eorum decreuit, dum illa ut conditionem sine qua non sibi repraesentauit. Singula enim haec mala contingentia existunt in hoc mundo optimo, non per se, sed tan-



quam accidentia substantiae cuidam inhaerentia. Haec substantia ut totaliter sit mala, absolute impossibile est. Hinc malum hoc contingens cum quibusdam bonis connexum est, quae salva summa perfectione mundi totius abesse nequeunt. Sed si Deus malum hoc impedisset: bona, cum quibus malum hoc indissolubili modo simul est, quoque deficerent, quia tam malum hoc, quam bona haec ad indiuiduationem partis cuiusdam huius mundi optimi requisitam pertinent. Et cum praeterea bona illa cum plurimis et maximis bonis connexa sint (per nexum vniuersalem); multa quoque deessent bona, in hoc mundo optimo necessaria, quae, positis illis, euenire possunt, et reuera eueniunt. Iam bona illa absque malo illo contingenti existere nequeunt, quia sunt ambo determinationes vnius eiusdemque substantiae et indiuidui, huius nec alius mundi; hinc Deus pro summa sua sapientia et bonitate malum hoc permittere debet. Hinc ex his eruimus: ens ad mundum optimum eiusque indiuiduationem pertinens, si vel maxime sit malum, a prouidentia et cura diuina minime excluditur §. 13. etc.

#### § XXI.

Restant adhuc quaedam rationes, quarum meditatio tam delectans, quam ad felicitatem nostram utilis; quaeque nobis, praeter necessitatem ex finitudine rerum creatarum fluentem, conuenientiam etiam maximam, vniuersalis prouidentiae diuinae, cum reliquis Dei perfectionibus, et cum ipsa perfectione mundi optimi summa, clariorem reddunt. Obseruamus scilicet: omnia Deus quae vult, optimis ex rationibus, quas, cum ipso obiecto voluntatis suae distinctissime cognoscit, rationalissime appetit. Hinc voluntas eius semper est constans; et cum impossibile sit, Deum in vno tantum casu, ex aliis quam optimis rationibus se ad agendum determinare, voluntas eius, eandem semper summam appetendi regulam sequens non potest non esse perpetua. Mundum hunc optimum Deus ab aeterno decreuit, et quidem illum decreuit et efficienter voluit ob bonum aliquod praeuisum, quod per alium mundum quemcunque possibilem neququam obtineri potuit §. 7. 8. Hinc necesse est, ut Deus, cuius voluntas constans et perpetua est, vsque in aeternum existentiam huius mundi creati efficienter velit. Mundus hic, qui  
qua



qua omnes suas partes compossibiles in eodem, maxime est determinatus §. 8. etc. est ens finitum, hinc nec vno momento independenter existere potest §. 14. 15. Ergo Deus ab aeterno conseruationem huius, nec alius mundi possibilis, efficienter voluit; hinc quoque, vsque in infinitum omnes et singulas eiusdem substantias, siue successiuae siue simultaneae fuerint, conseruare vult efficienter. Omnia in hoc mundo optimo futura existencia, tam partes eius maximas, quam minimas, bonas et malas, ad indiuiduationem mundi optimi necessarias, Deus ab aeterno praeuidit; et hanc ob causam, omnia futura, qualiacunq; etiam fuerint, in posterum conseruare decreuit, vt mundus, quem efficienter voluit existere, idem quoque perdurare possit. Ex his igitur concludimus: Si vna pars minima, sic et non aliter omnimode determinata, quam necessariam ad indiuiduationem huius mundi optimi esse Deus perspexit, quamque in decreto suo existituram voluit, vel plane non a Deo conseruaretur, vel saltem aliter, ac indiuiduatio eius omnimoda requirit; necessario inde sequeretur: vel decretum diuinum non impleri, vel, Deum partem aliquam, vt in mundo optimo in tempore futuro existat, quae ad haecceitatem eius necessariam non pertinet, decreuisse. Quis est, qui non primo intuitu perspiciat, casus hos impossibiles esse et reliquis Dei perfectionibus contrariari? Prorsus illi igitur falluntur, qui vniuersalitem prouidentiae diuinae, vel totaliter negant, vel saltem illam in dubium vocant.

## §. XXII.

Mundus hic optimus actualis, existit totus, cum omnibus suis partibus, vt medium ad finem aliquem, quem Deus summe sapiens in creando sibi proposuit obtinendum. Hic finis, qui est gloria Dei maxima, et inde, in omnes creaturas redundans perfectio, vt maxime et perfecte obtineatur, necesse est. Necessitas haec ex ipsa Dei sapientia summa profluit. Quaeque igitur in mundo optimo sunt, minime sunt superflua; hinc vt non existant, impossibile est. Dantur in hoc vniuerso substantiae et aliae partes, qua qualitatem et quantitatem diuersae; aliae sunt maiores, aliae minores, et quaedam minimae. Sed omnes existunt per summam Dei sapientiam vt



media, quorum nexus omnes cum fine ultimo Deus distinctissime perspexit; hancque ob rationem, illis existentiam largitus est. Hinc Deus pro summa sua omniscientia optime cognoscit: si vnum eorum tantum, et si minimum fuerit, in hoc nexu vniuersali maximo non existeret, summam corruere perfectionem mundi optimi, et finem eius vltimum neutiquam in summo gradu obtineri posse. Ergo Deus, per summam sapientiam, omnia et minima huius mundi optimi actualia, vt existant, curare tenetur.

§. XXIII.

Omnis actio Dei libera summa pollere debet rectitudine. Hinc nihil obstat, quo minus de prouidentia et conseruatione diuina affirmemus, quod maxime sint rectae §. 4. Ergo tot et tantis perfectionibus diuinis conuenire debet, quot quantisque potest. Omnes et singulas actiones liberas Dei, omnibus et singulis eius realitatibus et perfectionibus conformes esse, theologia naturalis extra omne dubium ponit. Hinc conseruatio substantiarum diuina, non solum sapientiae eius summae, sed quoque bonitati, quam in eo maximam colimus, contradicere non debet. Summa Dei bonitas requirit, vt Deus plurimis et maximis creaturis beneficia plurima et maxima conferat. Ponas igitur: Deum quibusdam tantum huius mundi substantiis benignum se praeberere; quae eius bonitatis idea? Nonne hanc sententiam fouens, a partibus solummodo quibusdam Deum stare, affirmaret? Et si minimam etiam tantum excipere velis substantiam; attamen semper obiectum quoddam, in quod Deus beneficia sua conferre possit, supererit. Verum quidem est, quod bonitas diuina summae Dei sapientiae attemperetur, et quod cuique existenti tot et tanta a Deo dentur bona, quot quantisque a Deo dignum iudicatur. Pro cuiuscunque valore et dignitate Deus beneficia sua distribuit. Hoc summae Dei bonitati, reliquisque eius perfectionibus minime contrariatur, sed potius illis maxime conueniens est. Sed ex hac iusta Dei distributione bonorum minime sequitur: quandam huius mundi optimi partem existere, quae nec vno quidem et minimo Dei beneficio digna sit. Probat hoc multo magis contrarium. Nam Deus pro distinctissima sua cognitione, quodcunque ens existens vsque ad intima sua



sua perferatur. Hinc ipsi in quocunque existenti non occultum est id, quod nosmetipsi de communibus entium finitorum determinationibus per demonstrationes eruimus; quod nimirum nullum in hoc mundo optimo detur actuale prorsus sterile, sine omnibus realitatibus, et quae reliqua sunt praedicata generalia, quibus valor omnis actualis tam internus quam externus exprimitur. Et cum Deus quam maxime distinctissime perspicit, quot quantumque quoduis existens ad summam totius perfectionem conferat, quam maxime quoque voluntas eius determinatur, ad omnibus et minimis etiam huius mundi optimi partibus beneficia conferenda. Quis dubitat, providentiam diuinam esse actionem, qua Deus optimus summam suam bonitatem exercet? §. 5. Quo ergo pluribus Deus prouidet, eo maior est eius bonitas; et si summe bonus esse debet, omnia et singula in hoc mundo actualia ut curet necesse est. Basis et fundamentum omnium bonorum in ente actualium est eius existentia, quia haec non solum per se spectata est realitas, sed etiam, quia hac posita, in omnibus actualibus, plurium et maiorum bonorum simul ponitur receptiuitas. Hinc si Deus curat, ut omnia et singula, maxima et minima, quorum esse in hoc mundo optimo possibile est, ad existentiam perueniant, eo ipso quoque sibi, ut ita loquar, viam aperit, se ut summe benignum gerendi. Quo plura enim sunt actualia, in eo pluribus summa eius bonitas splendere potest. En igitur! quam necessarium sit, ut Deus omnibus et singulis rebus creatis prospiciat quam maxime, ne summa eius bonitas reliquis suis perfectionibus maximis, minus aequipolleat.

## §. XXIV.

Mundus hic est effectus Dei perfectissimi. Hinc quaeuis pars in eodem existens testatur de Deo creatore suo. Hinc, neque ex vna, neque ex aliquibus, sed ex omnibus simul sumtis huius mundi optimi partibus omnes perfectiones Dei summae quam maxime cognosci possunt. Finis enim Dei vltimus in creatione huius mundi optimi non fuit gradus honoris, quo maior possibilis, sed maximus, qui per finita obtineri potest. Hinc ex tot et tantis, ex quot et quantis possibile est, cognosci voluit. Ideo quoque  
mun-



mundum hunc elegit, quia in eodem plurimae et maximae possibiles fuerunt partes, quibus positis, gloria Dei summa promoueri potuit. Si ergo Deus, qui semper sapientissime, sibi que conuenientissime agit, vnam tantum vel minimam huius mundi optimi partem non conseruaret, aut ad actionem vnam vel minimam substantiae cuiusdam non concurreret; partes hae existere non possent §. 14. hinc aliquid, ex quo perfectio Dei aliqua magis cognosci posset, in mundo optimo deesset, et gloria Dei, quae maxima esse debet, gradu splendoris maximi aliquo careret. Hinc Deus sibi minus conuenienter ageret, et gloria eius nullo tempore summa et maxima esse posset, si illa, quae tibi minutiae esse videntur, non curaret, tam vt reuera existant, quam ne aliter determinata existant, ac summa Dei gloria requirit.

§. XXV.

Ipsis ex malis, quae a Deo sapientissime permittuntur, quam maxime perfectiones diuinae summae cognosci possunt, licet indirecte tantum. Omne enim malum cum aliquibus realitatibus ita est coniunctum, vt hae absque illis existere nequeant. §. 19. 20. Realitates hae ex summa Dei perfectione profluunt; hinc ex illis perfectio haec diuina cognosci potest. Sed haec cognitio, quae est pars gloriae diuinae, in hoc mundo optimo plane deficeret, si malum illud, sine quo realitas haec existere nequit, non existeret. Hinc igitur necessitatem existentiae malorum etiam in hoc mundo optimo, et curam prouidentiae diuinae respectu eorundem, cognoscimus. Si illa Deus plane impediret, vel, si non prospiceret, vt et illa sic et non aliter eueniant in hoc mundo optimo, ac reuera eueniunt: nonne multa essent actualia, quae salua Dei gloria summa abesse possent? Quum tamen eadem haec, salua existentia mundi optimi, abesse non possint; non solum bona et realitates per se, ad indiuiduationem totius mundi optimi, sed et illa bona et realitates, quae cum malis coniuncta sunt, ad eius omnimodam determinationem pertinent. Nullum est in hoc vniuerso factum, quod non ad status eius, tam praeteritos, quam praesentes et futuros determinandos, requiratur; et nihil in illo accidit, quod ad summam totius perfectionem nihil conferat, siue sit substantia siue accidens. Hinc tam per summam



mam Dei gloriam, quam per bonum commune summum reipublicae diuinae necesse est, vt Deus etiam prospiciat, ne vel realitates quaedam, etsi minimae essent, vel mala etiam, certo respectu necessaria, in eadem non eueniant.

*Scholion.* Ne affirmare quid videar, quod bonitati et reliquis diuinis perfectionibus repugnare aestimari possset, addam: Deum malis in hoc mundo optimo, quasi mediis necessariis ad summam quae possibilis mundi optimi perfectionem obtinendam, minime vti. Sed quia ab aeterno praevit, mundum optimum sine malis quibusdam tam phycis quam moralibus, totaliter esse impossibilem; ne perfectio eiusdem totalis sublatis illis corrueret, ab aeterno illa permittere decrevit.

#### §. XXVI.

Fac itaque: Deum non vniuersaliter mundo huic optimo prospicere; quaedam non existent, quorum tamen existentia ad indiuiduationem mundi optimi necessaria est; multae actiones substantiarum euenirent, vel prorsus superfluae et perfectioni totius contrariae, vel quaedam aliter, ac necesse est, determinatae; mala vel plura, vel maiora vel minora, et quaedam plane non existerent; hinc maxima inordinatio maximaque confusio, loco ordinis; et dissensus omnium maximus, pro consensu omnium maximo in hoc mundo, qui tamen optimus esse debet, oriretur. Vides igitur quam necessaria sit prouidentia Dei, omnium et singulorum in hoc mundo optimo existentium curam gerens. Multa quidem nobis, ob finitam nostram cognitionem, superflua seu minus necessaria, praepremis mala quaedam nobis displicentia, videntur; sed immemores, omnia haec in mundo aliquo existere, quem Deus ex omnibus possibilibus pro summa sua sapientia, iustitia et bonitate elegit, ea re vere superflua esse iudicaremus. Certissime prouidentiae huic confidere possumus, si maior alicuius partis perfectio, aut minor illius imperfectio in hoc mundo optimo possibilis esset, eandem etiam certissime fore existuram.



## §. XXVII.

Directio omnium in hoc mundo optimo euentuum, praeprimis permissio et cura malorum contingentium in illo, necessario perspicientiam et cognitionem omnium nexuum, omnium singulorum actualium, praesupponit. Non alia enim et maiora mala in mundo optimo esse debent, quam quae salua eius perfectione summa, salua quoque perfectione omnium in eodem rerum creatarum, saluo nexu omnium maximo, saluo consensu omnium maximo, existere possunt; hinc nec plura nec maiora, qua quantitatem et qualitatem, nec qua rationes et confectaria alia, quam quae in mundo optimo possibilia sunt. Sed talis cognitio et perspicientia soli tantum intellectui infinito tribui potest. Sola hinc Deo prouidentia et cura respectu omnium, hinc et malorum, in mundo optimo tribuenda est. Eius tantum esse potest cura, ne vnum quidem malum perfectionem totius impediatur, sed ut omnia ad optimum dirigantur. Sumas et maximorum maximum spiritum huius mundi optimi, intellectu maximo, qui spiritui in serie finitorum actuali possibilis est, praeditum: semper tamen pars huius mundi manet, et non aliud nisi finitum esse potest ens; hinc intellectus eius limitatus, adeoque ipsi impossibile est, naturaeque eius contrariatur, omnes omnium nexus, singulos cuiuscunque huius totius partis status, et circumstantias omnes successiuas perspicere. Plura dantur possibilia, quae autem in hoc mundo optimo fieri nequeunt; quia eorundem non existentiae sufficiens ratio, in omnibus tam praeteritis, praesentibus, quam futuris ita inuoluta est euentibus, ut prorsus nobis impossibile sit, de iisdem non factis in mundo optimo vel minimam tantum rationem detegendi. Si autem illam rationem generaliter indicare cupimus, satis nobis est, ad omniscientiam et prouidentiam Dei prouocare. Hinc recte inferimus: Deum tantum reipublicae huius mundi optimi solum prospicere, nec vllum spiritum finitum boni illius publici curam gerere posse.

## §. XXVIII.



## §. XXVIII.

Tandem restant dubia, quibus prouidentiae diuinae vniuersalitatē in mundo optimo quidam refutare audent, et quae commemoratione et refutatione, quantum in hacce dissertatione fieri potest, indigna haud iudico. Per plurimi, qui vniuersalitatē prouidentiae non admittunt, illum alunt errorem, quo cura Dei vsque ad singula indiuidua extensa, contra dignitatē diuinā summā putatur. Sed solutioni huius dubii omnia illa inferuiunt, quae in antecedentibus iam dicta sunt. Praeterea autem obseruandum est: omnis creatura esse suum omnipotenti vi diuinā debet, nec quidquam est, quod sine creatione existat. Hinc, cuius actuatō et creatio Deo maximo non indigna fuit, illius etiam conseruatio cum summa Dei dignitate, et reliquis eius perfectiōibus, optime consistere potest. Quae Deus creauit, indiuidua sunt, et quae adeo successiue, siue vt praeterita, siue vt praesentia, siue vt futura actualia sunt. Vt Deus igitur omnia haec conseruet indiuidua, necesse est (per anteced.). Si enim assumamus: Deum indiuidua huius vniuersi non curare, sed actuationem existētiaē eorundem omittēre; nec vno momento omnia haec indiuidua, partes mundi optimi, durare possent, sed potius annihilarentur: quia ad annihilationem, non, vt Deus agat, sed omisio tantum actiōis requiritur (per princ. metaph.). Hinc intermissa prouidentia diuina, indiuiduorum singulorum annihilatio mundi totius optimi certissima euaderet. Multo magis igitur affirmare licet: si Deus omnium et singulorum indiuiduorum huius mundi optimi, curam omittēret, haec neglectio curae, contra summā Dei sapientiam, illaque indigna esset. Omnis Dei perfectio debet esse maxima; et quis negare potest, prouidentiam esse Dei perfectiōem, cum omnes reliquae ad eandem concurrant? Sed quo plurium Deus curam gerit, eo maior est eius prouidentia; hinc, quia haec maxima est, ad tot, ad quot possibile est, illa se extendere debet. Si ergo sententiam de vniuersali diuina prouidentia corroborare studemus; eo ipso summus perfectiōum diuinarum gradus, et maxima earundem maiestas illustratur.



## §. XXIX.

Alterum quod aduersarii proferunt dubium est: Deo molestum esse, omnia et singula huius mundi actualia curare, hinc felicitatem eius summam turbari. Sed dubium hoc conceptui, quem nobis de ente perfectissimo formamus, maxime aduersatur. Omnia enim, quae Deus actuat, et ad quae producenda omnipotentem suam vim determinat, sunt vere bona. Hinc ex quacunque sua actione, maximam haurit voluptatem purissimam. Ergo quaecumque actio Dei summam actuat in Deo voluptatem, nec ex vna actionum suarum taedium oriri potest, nec ipsi molesta esse potest, sed per vnamquamque voluptas eius purissima et maxima determinatur, dum tot et tanta optime actuat bona, quot et quanta possibile sunt. Quo ergo plura, quo maiora, in quo pluribus et maioribus, bona Deus actuat, eo maior est eius voluptas. Hinc si Deus omnia et singula, quae in mundo optimo existunt, indiuidua curat; actio haec non potest esse Deo molesta, praesertim cum propter omnipotentiam ne difficultas quidem actionis diuinae cogitari possit. Hinc vniuersalis prouidentia simul, cum reliquis Dei perfectionibus, ad summam eius felicitatem conspirat. Sed forsitan cum eo, quod Deo molestum iudicas, combinas ideam eius, quod hominibus in curis gerendis taedium creat? Sed hoc in Deo minime locum habet. Nani omne taedium, hominibus molestum, quod ex curis oritur, ex eorum imperfectionibus profuit; e. gr. ex impotentia, dum aliquid sibi proponunt ad quod vires eorum non sufficiunt; seu ex excessu curarum, seu ex ignorantia casuum futurorum, quae propositorum et decretorum executionem impediunt, et quae reliquae sunt imperfectiones, et rationes taediorum, molaestiaeque hominum, quae omnia ab ente perfectissimo absunt longissime. Quae enim Deus decernit, ea certissime per omnipotentiam, cuius sibi optime conscius est, actuare potest, et nulla alia appetit, nisi quae tam per se, quam in omnibus nexibus futuris, praesentibus et praeteritis, quos quoque summa cum certitudine perspicit, possibile sunt.



## §. XXX.

Tertium dubium ridiculi quid continere mihi videtur. Obiicitur nimirum: Deus curat hunc mundum optimum, sed haec Dei cura ultra genera et species partium huius vniuersi non est extendenda; sed dum haec a Deo conseruantur, indiuidua sine prouidentia diuina vltiori successiue a se ipsis existere posse. Vt breues simus, nihil aliud, quam quae ex logicis constant, respondeamus. Si ergo inquirimus quid genera et species significant; illico patet, quod non nisi in abstractione intellectus, et vt entia abstracta in rebus et in multis existere possint; hinc neque sunt entia vera in hoc mundo adspectabili existentia, neque obiecta creationis et conseruationis diuinae. Genera enim et species, similitudines et determinationes quaedam communes indiuiduis inexistentes, constituunt. Si ergo ponis, Deus illa conseruare, non nisi in indiuiduis illa conseruare potest; hinc eo ipso conseruationem et existentiam indiuiduorum supponis. Sed si etiam possibile esset, Deum genera et species tantum conseruare; plures adhuc deessent determinationes, quae efficiunt, vt indiuiduum existere possit. Has Deus vel ad existentiam perducit, vel non. Si prius, Deus indiuiduum curat, vt ad esse suum perueniat; si posterius, actualitas indiuiduorum impossibilis est; hinc et genera et species rerum, quatenus vt rebus inexistentia spectantur.

## §. XXXI.

Supereff denique obiectio, qua contenditur: si Deus omnibus et singulis substantiis et indiuiduis prospiceret, non tanta adesset confusio et imperfectio in statu indiuiduorum, quam actu existit in mundo. Quot quantaque intereunt indiuidua tam substantialia quam accidentalia? Totae fere regiones interdum, aliae suis incolis, aliae reliquis animalibus, aliisque partibus orbantur, et quae sunt reliqua damna, quae ex infortuniis aliisque vicissitudinibus rerum oriuntur. Deus tamen, qui prospicit, species rerum omnium conseruat, dum indiuidua alia, loco illorum quae pereunt, substituuntur. Hinc patere videtur, Deum quidem species rerum conser-



uare, neutiquam vero singulorum indiuiduorum conseruationem. Totum hocce argumentum nihil probat; qualis enim consequentia? Si quaedam indiuidua existentia sua destituuntur; Deus genera et species rerum tantum conseruat? Lubenter quidem concedimus, in statu indiuiduorum plures imperfectiones et mala adesse, sed tamen non alia sunt mala et imperfectiones, nisi quae Deus per summam suam sapientiam et bonitatem, perfectionis huius mundi optimi summae totius causa, permittit. Caueamus igitur a nimia curiositate, rationes mouentes voluntatis Dei imperscrutabilis in dirigendis euentibus huius mundi optimi, nimium inquirente; nec in diiudicandis actionibus diuinis, maiori, quam licet, vtamur libertate! Acquiescamus in illo, quod certissimi simus: Deum omnia, bona et mala, dirigere ad optimum

F I N E M.



HONO-



HONORATISSIMO  
RESPONDENTI

S. D.

GEORG. FRID. MEIER.

**F**initis laboribus academicis, quibus animum egregio eruditionis adparatu instruxisti, honores in philosophia summos, *RESPONDENS HONORATISSIME*, ambis liberaliter. Hanc ob rationem, ab ordine philosophorum amplissimo, modeste petiisti hos honores academicos. In examine solemnique questionibus nostris satisfecisti abundanter, et nobis sufficientissime probasti, *TE* non solum fideliter philosophiam didicisse, sed etiam magnos in eadem fecisse progressus. Elaborasti denique hoc scriptum, in quo pauca tantum mutavi, quodque solemnique conspectu publice defender. Quo facto, summos honores philosophicos et iura philosophiae magistri, ex decreto facultatis philosophicae et publica auctoritate, *TIBI* conferam, ut nobilius in posterum habeas motuum, et eruditionem *TVAM* semper strenue augendi, et patriae aequae ac reipublicae litterariae insigniter inferuendi. Haec omnia, quae honorum votorum materiam mihi suppeditant largissimam, *TIBI* ex animo et sincere gratulor. Abi in patriam redux eruditione, virtute et honore locupletior. Nunquam discere desine. Philosophia utere ad propriam et publicam veram utilitatem promouendam. Et si bene de ecclesia, de reipublica litteraria, de patria, de tuis et de *TE*metipso mereberis, memoriam mei quoque mente recolas, meorumque conaminum, quibus forsitan *TIBI* non fui plane inutilis. Nunquam non *TE* amabo, commoda *TVAM* quavis occasione data promoturus. Vale. Dedi in Fridericana Regia d. X. Mart. MDCCLXIII.

VIRO



VIRO PRAENOBILISSIMO ERVDITISSIMOQVE  
AMICO SVO SVAVISSIMO WIELKE

S. F. D.

IOANNES ALBERTVS AVGVSTVS LVCAE

MAGDEBVRGENSIS, MED. CANDID.

Lactissimus TIBI gratulor, quod metam attingisti, laboresque TVI tali sine coronantur, quali tantammodo illi digni habendi esse videntur, qui strenua cum assiduitate, indeque pendente eximio fructu sunt peracti. TVOS vero semper ita comparatos fuisse, neminem eorum, qui res TVAS norunt, fugit. Ideoque frustranea me esse actorum duco, si audeam imparibus viribus hosce, quibus in scientiis progressus es, profectus emetiri, atque enarrare. Opus hocce iis, qui TIBI in hac Musarum sede Apollines fuerunt, relinquere malo. Nam persuasum mihi est, viros hos eximia mentis aequitate alias iam praeclaros officio suo haud esse defuturos, iisque, quas virtutibus TVIS debent, laudibus TE esse ornaturus; cum mihi aliunde iam notum sit, plurimos eorum semper gratulatos, gloriatosque fuisse, quod sibi fortuna secunda contigerit TE illorum numero adscribere, quos prae caeteris amant, atque docent. Hi TIBI censores, praestantiaeque TVAE in litteris acquisitae sint laudatores. Ego tantummodo gratulor mihi de amicitia TVA omnibus illis magnis virtutibus, quae humilis mentis homines ignorant, condecorata. Quanta TIBI inest animi probitas? quam praeclaris splendes moribus? quantaque suavitatem ornatur consuetudo TVA? Certe! tali amico vti iuvat. Sed omnibus hisce bonis TE cum mox carebo. Abis reuertens in patrias, quo fors TVA TE vocat, terras, magna locorum distantia a me seiunctus. Hoc valdopere dolet. Et nescio, quomodo ferre possem absentiam TVAM, nisi adhuc solatium capere mihi liceret ex amicitiae, amorisque TVI erga me constantia. Hac fretus TE a me diuelli sino, certe sciens, ad ultimas licet orbis terrarum oras discedas, eisdem semper erga me, quo adhuc vteris, animi fore. Discedas igitur, omnibus, quae actum ibis, summum Numen annuat. Ego nunquam officiorum illorum, quae vera nostra amicitia postulat, obliuisci potero. Vale! Dab Halae ad Salam d. XII Mart. MDCCCLXIII.

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
AMICO SVO DILECTISSIMO

S. D. P.

FRIDERICVS GEBHARDVS THEODORVS GÖNNER

BEROLINENSIS, MED. CANDID.

Tam feliciter ergo vitam academicam transigisti, ut mox summos honores TVAE doctrinae ac virtutis dignissima praemia reportaturus sis. Magnopere hoc laetor, nec possum, quin TIBI, quam exinde animus capiat, voluptatem per litteras significem. Qui enim filere possem AMICE DILECTISSIME! cum TVIS et meis Votis omnia quae ad TVAE felicitatis augmentum pertinent hac usque tam prospere celsisse videam? Nimis arctum nos tenet amicitiae vinculum, nimisque diu iam assueci, et maximo cum oblectamento assueci, TVA commoda etiam mea putare. Non facatus haec estatur amor, talis, qualem semper TVARUM virtutum candor erga me patrefecit. TVAE eruditionis eximiae non effero laudem. Meum enim non esse duco eas repetere, quae a summis viris TIBI tribuuntur. Sed - - - prae dolore fere pergere nequeo; CARISSIME WIELKE! deseris me! immitteque nos separat fatum et fortasse in aeternum disiungit! Vbi nunc inueniam tam tenerum, tam sincerum, tam praeclaris moribus ornatum, tam probum amicum? TE semper desiderabo, TVIque memoria, atque virtutis et industriae exempla alte menti infixata manebunt. Abi ergo, quo TVA TE vocat fortuna; sed TVO amore, mihi tam practioso me amplecti perge. Sospes reuertere in patriam; omnia quae ages feliciter age; omniaque a TE summum Numen auertat pericula, omnesque casus. Vale, AMICE DILECTISSIME! et amici TVI integerrimi nonnunquam recordare. Dabam Halae Magdeburgicae die XII Martii MDCCCLXIII.

MDCCCLXIII.



VIRO P  
AMICO


IOANN

Lactissimus TIBI g  
tantummodo illi  
dente eximio fructu su  
qui res TVAS norunt  
viribus hosce, quibus  
iis, qui TIBI in hac  
est, viros hos eximia  
que, quas virtutibus  
fit, plurimos eorum  
rit TE illorum numero  
praestantiaeque TVAE  
amicitia TVA omnibus  
corata. Quanta TIBI  
nitate ornatur consuet  
mox carebo. Abis re  
stantia a me seiunctus.  
TVAM, nisi adhuc sol  
Hac fretus TE a me d  
dem semper erga me,  
ibis, summum Numen  
postulat, obliuisci pot

VIRO P  
AMICO

FRIDERICV

Tam feliciter ergo v  
ac virtutis digniss  
TIBI, quam exinde ac  
AMICE DILECTISSIS  
pertinent hac vsque ta  
nimisque diu iam affue  
tare. Non fucatus haec  
tefecit. TVAE eruditio  
quae a summis viris TIBI  
WIELKE! deseris me!  
inueniam tam tenerum  
TE semper desiderabo,  
manebunt. Abi ergo,  
plecti perge. Sospes reat  
Numen auertat pericula  
tegerimini nonnu



ISSIMOQUE  
IO WIELKE

TVS LVCAE

vi tali sine coronantur, quali  
pur assiduitate, indeque pen  
ratos fuisse, neminem eorum,  
duco, si auderem imparibus  
atque enarrare. Opus hocce  
malo. Nam persuasum mihi  
suo haud esse defuturos, iis  
cum mihi aliunde iam notum  
sibi fortuna secunda contige  
te docent. Hi TIBI censores,  
tantummodo gratulor mihi de  
tis homines ignorant, conde  
des moribus? quantaque sua  
omnibus hisce bonis TE cum  
t, terras, magna locorum di  
modo ferre possem absentiam  
risque TVI erga me constantia.  
s terrarum oras discedas, eius  
gitur, omnibus, quae actum  
m, quae vera nostra amicitia  
Mart. MDCCCLXIII.

DOCTISSIMO  
TISSIMO

DRVS GÖNNER

hos honores TVAE doctrinae  
hoc laetor, nec possum, quin  
em. Qui enim filere possem  
TVAE felicitatis augmentum  
nos tenet amicitiae vinculum,  
VA commoda etiam mea pu  
virtutum eandor erga me pa  
m non esse duco eas repetere,  
ergerere nequeo; CARISSIME  
eternum disiungit! Vbi nunc  
atum, tam probum amicum?  
iae exempla alte menti infix  
m, mihi tam practioso me am  
ge; omniaque a TE summum  
TISSIME! et amici TVI in  
rgicae die XII Martii